7

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

VIRIBUS CORTICIS PERUVIANI, EJUSQUE USU IN MORBIS NON FEBRILIBUS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BAVII VOORDA,

J. U. D. ET PROF. JUR. CIV. ET HOD. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS
MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME
CONSEQUENDIS,

Eruditorum examini ſubmittit

JOANNES COOKE,

ANGLUS.

REG. SOCIET. MEDIC. EDINBURG. SOCIUS.

Ad diem x. *Julii* CIƆIƆCCLXXXI. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD JOHANNEM VAN TIFFELEN,
MDCCLXXXI.

Mr. Frank

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

VIRIBUS CORTICIS PERUVIANI, EJUSQUE USU IN MORBIS NON FEBRILIBUS.

§. I.

Expoſitio & Diſtributio Thematis.

Cortex, Peruvianus ſeu China-China dictus, eſt cortex extimus arboris, quae incola eſt montium Cajanuma in viciniis urbis Loxae in Provincia Americae Meridionalis Peru dicta. Ejus efficacia contra varios morbos per totum orbem unanimi Medicorum conſenſu laudatur, neque ullum forte in univerſa re medica datur remedium, cujus uſus adeo late patet: quin imo unum eſt paucorum Simplicium, quae benigna & provida Natura humano generi tanquam auxilium contra plurimos & graviſ-

ſimos morbos conceſſit, & cujus efficacia frequenti experientia probata fuit. Tale remedium ergo absque ullo dubio meretur exacte & caute examinari. Plerique Auctores, qui de hac materie egerunt, praecipue attenderunt ejus hiſtoriam naturalem, & ejus uſum in cura febrium, praecipue intermittentium; dum igitur haec materies adeo fuit decantata, ut aliquid notatu dignum illi addendi fere videatur locus non dari, in praeſenti tantummodo ejus virtutes medicas uſum & effectus in Morbis non Febrilibus inveſtigabo, & ex hiſce perſpectis varios illos caſus apyrexiae indicare conabor, in quibus cum maxima ſpe optati ſucceſſus adhiberi poſſit. „ Corticis uſus (dicit „ Cel. VOGELIUS in ſua *Hiſt. Mat. Med.* „ *pag.* 287.) quidem initio non alius quam contra „ febres intermittentes cognitus fuit, poſtea vero „ tam multiplex tamque decantatus in pluribus „ aliis atque gravioribus longe morbis deprehenſus, „ ut Divinum vere dixeris".

Secundum hunc ſcopum ergo in Cortice Peruviano examinabo:

1°. ejus virtutem antifebrilem.
2°. vim antiperiodicam.
3°. vim antiſpasmodicam.
4°. vim adſtringentem.
5°. vim antiſepticam.
6°. vim roborantem tonicam.
7°. vim antihelminticam.
8°. vim ſaponaceam reſolventem; & tandem
9°. vim balſamicam & vulnerariam.

§. II.

§. II.

Pauca de Hiſtoria Botanica & Chemica Corticis.

Hiſtoria botanica arboris quae Corticem Peruvianum fert, hiſtoria naturalis hujus ſimplicis, ut & ejus uſus in medicina, toties jamjam a variis Auctoribus traditae & deſcriptae ſunt, ut hiſce deſcriptionibus nihil novi addere poſſe mihi videar, quippe quae apud quemcunque auctorem, qui de materie medica egit, reperiundae ſunt. Qui ergo plura de his deſiderat, adeat auctores varios de re medica, & inter alios GEOFFROY in ſuo tractatu *de Mat. Med. Tom.* II. *pag.* 310. *ſeqq.* BERGIUM *Mat. Med. Tom.* 1. *pag.* 104. & omnium optime LURSENIUM in *Diſſ. de Cort. Peruv. Leid.* 1751. *pag.* 4. *ſeqq*, qui etiam delineationem accuratam arboris ſuae diſſertationi adjecit.

Quoad analyſin Chemicam: conſtat praecipue partibus gummoſis & reſinoſis, quae junctim dimidiatam circiter corticis partem conficiunt, ſed de quarum relativa quantitate non aeque certo conſtat; reliqua pars eſt terrea, cum aëris fixati ſatis magna copia & pauxillo ſalis alcalini.

„ *Paſſivas* corticis partes (dicit ſupra laudatus „ LURSENIUS) abſolvit terra, *activas* vero oleum „ grave praecipitationi aptum nec non reſinam con„ ſtituens; huic oleo ſulphur ſeu phlogiſton inti„ me junctum, utroque principium ſalinum uni„ tum. Sulphure & reſina ſpiritu vini abſtractis, „ ſal nativus intactus excluditur vere eſſentialis di„ cendus. Natura hujus ſalis eſſentialis fere neu„ tra eſt". Qui plura circa Corticis analyſin Chemicam deſiderat, adeat Doct. MAUTT *Diſſ. de Cort. Peruv.* in *Theſauri* SANDIFORTIANI *vol.* 1.

pag. 175. *ſeqq.* inveniendam: Conf. etiam BEAUME *Elem. de Pharmacie:* Hoc tamen cum Cel. MURRAY monendum, quod „ ad dilucidandas „ virtutes corticis medicas chemica analyſis exi- „ guam, ſi ullam, adfert lucem". (*Appar. Med. pag.* 554.)

§. III.

Vis antifebrilis Corticis.

In Cortice Peruviano certe primario agnoſcenda eſt virtus antipyretica ſeu antitypica, qua morbis febrilibus longe prae aliis medicamentis reſiſtere valet, quaeque virtus millenis & quotidianis exemplis nimis evicta eſt, quam ut ei probandae operam dem; omnes gentes etiam, apud quas noster Cortex uſu receptus fuit, unanimi conſenſu hanc virtutem in ipſo agnoſcunt. Interea obſervari debet, ipſius vires antifebriles non ubique & ſub vario clymate aeque eſſe manifeſtas & validas; ſic ex teſtimoniis eruditorum practicorum, quos amicitiae vinculo mihi junctos fuiſſe lætus recordor, me perſuaſum habeo Corticis vires in curatione febrium, praeſertim intermittentium, multo minus late patere in Hollandia, quam in Anglia, quin aequali doſi & iisdem ſub conditionibus propinati; circa quam differentiam tamen ratio illa forte admittenda eſt quam dedit Doct. FOTHERGILL in *Med. Obſ. and. Inquir. Vol.* I. *pag.* 319. Verum licet tales exceptiones vel & in aliis regionibus obſervarentur, quarum cauſa forte a longe aliena conditione dependet, & licet Corticis vis antipyretica non ubique eſſet aeque valida, generalis tamen ejus vis antifebrilis ideo non minus certo vel univerſe conſtaret. „ Ne-

„ que

„ que vero ullum (ait Cel. Werlhoff *Obſerv. de Febribus Tom. I. Sect. II.* §. 2.) ex reme-
„ diis, quae febrifuga audiunt, in tam ancipiti
„ rerum ſtatu, certum ſatis fidumque comperi-
„ mus, praeter unum illum corticem Peruvianum,
„ ſive Chinchinam, tantopere multis inviſam. Ejus
„ vero virtus omnium manifeſtiſſima eſt in reſti-
„ tuenda ſubito oeconomia corporis, horrendis
„ ſymptomatibus per paroxysmos turbata; excita-
„ ri potius ad rectum uſum detegendum vel con-
„ firmandum & contra abuſus muniendum, corda-
„ tos medicos deberet, quam ut Theoria vel Hy-
„ potheſi nimis generaliter definiente, & imper-
„ fectis de modo agendi idaeis, ad vituperandum
„ hoc Divinae Providentiae munus, & caſtrandum
„ generoſo praeſidio materiam medicam febribus
„ medentem, reduci nos patiamur".

§. IV.

Vis antiperiodica Corticis.

Altera vis in Cortice ſpecifica, eaque admodum manifeſta, vocari poteſt antiperiodica, qua nimirum non tantummodo febribus intermittentibus regularibus, ſed & variis proteiformibus morbis ad ſenſum minime febrilibus, ſed periodicis, vel etiam irregulariter, medetur. Hanc virtutem teſtantur innumera experimenta & ſummorum in arte Virorum auctoritates: ſic Cephalalgiam, Hemicraniam, Odontalgiam, dolores circa artuum juncturas periodice recurrentes, & plura alia mala per periodos certos redeuntia, inter quae hic citata inſtar omnium tantummodo memorabo, ope hujus corticis ſanata legimus, uti inter alios

pluribus exemplis probat Cl. WERLHOFF *Obſ. de Febr. pag.* 109. *&c.* Cel. MURRAY exhibet catalogum plurium auctorum, qui illam vim antiperiodicam in Cortice propriis tentaminibus experti ſunt (*App. Med. Tom.* I. *p.* 568). Rationem autem qua his morbis opem fert nonnulli Auctores repetunt ex natura horum morborum plus minus febrili, dum nimirum indolem pyrexiae in illis regularibus invaſionibus poſt abſolutam intervalli periodum latentem ſuſpicantur, unde etiam eximius Pathologus SAUVAGESIUS has affectiones *febricoſas* vocavit. Verumenimvero, licet hoc in nonnullis illorum affectuum verum eſſe poſſit, non tamen idem de omnibus ſtatuendum: nam, ſi verum eſt, uti dubitari legitime non poteſt, febris idaeam adaequatam & notionem completam non abſolvi niſi congerie omnium ſymptomatum, quae certo & ſimul adſunt in omni genuina febre; ſique, uti iterum dubitari nequit, in multis horum affectuum nullum praeter dolorem ſignum vel topicum vel univerſale adeſt, ex quo legitima ad praeſentiam febris concluſio valeret, ſponte ſequitur hos affectus non omnes ad febricoſos poſſe referri, ideoque virtutem ſpecificam Corticis adverſus illos, quae tamen ſupra recenſitis teſtimoniis certo evicta fuit, non poſſe deduci ab ejus virtute antipyretica, ſed revera nobiscum eſſe ſtatuendam *vim corticis antiperiodicam.*

§. V.

Vis antiſpasmodica Corticis.

Ex conſideratione antecedentium virtutum noſtri Corticis patuit, illum tanquam ſpecificum adverſus

ſus morbos febriles, praecipue intermittentes, & varios periodicos, operari. Si deinde in naturam febrium inquiramus, illamque in ſpasmodica conſtrictione totius ferme ſyſtematis ſolidorum ſenſilium ſitam eſſe, attenta doceamur conſideratione, facile patebit noſtrum remedium, quod tantopere valet in debellanda febre, certo poſſidere virtutem antiſpasmodicam ſpecificam. Hanc virtutem ſpecificam, ſufflaminandi nempe febrem, jam ante longum tempus in illo agnoverunt varii auctores, unde dixerunt Corticem praeſertim agere in cauſam proximam febris, cujus eſſentia tamen illis latitabat. Cognita vero ejus natura antispasmodica, nunc facilius ejus virtutis antipyreticae rationem reddere poſſumus, praeſertim cum ejus effectus cum effectibus aliorum remediorum antispasmodicorum, & maxime opii, comparamus; quae omnia nimirum id commune habent, quod non adeo cauſam, ſi detur, materialem febris, ſed febrem ipſam ejusque ſymptomata, vel debellant, vel ſaltem pro tempore infringunt.

Ex hacce conſideratione jam a priori virtutem antispasmodicam Corticis demonſtrare poſſumus; ſed a poſteriori etiam illam a variis iisque perſpicacibus Medicis ſcopo antispasmodico, & doſibus adeo exiguis, ut nulla alia virtute prodeſſe potuiſſe videatur, in pluribus morbis naturae ſpasmodicae optimo cum ſucceſſu propinatum legimus. Effectu mirabili ſecundum SYDENHAMUM S. N. favet. Extr. corticis mulieri per periodum menſtruam exhibitum epilepſiam ſanavit. Spasmos, convulſiones & aphoniam cortex mitigavit, uti notavit WERLHOFF *obſ. de febrib. pag.* 140. tandem proficuus eſt in Melancholia & Mania nervoſa. In multis hyſtericis & hypochondriacis ſpasmis lon-

longe aliis omnibus praecellit remediis, uti jam obſervavit SYDENHAMUS, & Doct. WHYTT confirmavit, cui etiam aſſentit Cl. RAHN (Vid. *Adverſar. Tom.* I.); & in pavoribus, ſtrangulationis ſenſu, anxietatibus, ſuffocatione & id genus alia HALLERUS hoc medicamentum laudavit. In morbo ſumme nervoſo & convulſivo, Epilepſia, profuit in tentaminibus RITTERI, WERLHOVII & TISSOTI. In Tuſſi vehementiſſima & frequentiſſima BERGIO feliciter ceſſit; in Convulſiva autem tuſſi, praemittendis praemiſſis, fere nunquam fallere Recentiores Medici vel ſexcenties obſervarunt, additis quidem reſolventibus aliisque medicamentis, ſed Corticem ſemper pro baſi ponentes.

§. VI.

Vis adſtringens Corticis.

De vi Corticis adſtringente Auctores multum differunt inter ſe: Multi hanc vim plane negant, alii Cortici vim ſtypticam adſcribunt, & nonnulli tandem ferme omnes virtutes medicas Corticis ex hac fonte derivant. Qui vim adſtringentem ponunt, illam pro maxime parte ex cura morborum, in quibus ſolida debilitate & laxitate peccant, probare nituntur: dantur tamen nonnulla argumenta, quae illam etiam *a priori* demonſtrare mihi videntur. Ill. PRINGLE, qui tot & tam pulchra experimenta cum Cortice quatenus antiſeptico inſtituit, jam dixit, omnia adſtringentia valida videri antiſeptica, & ab altera parte omnia antiſeptica probabiliter etiam gaudere vi adſtringente, licet illa non ſemper aeque manifeſto appareat. In experimentis propriis, quae

quae ducibus Ill. PRINGLIO & Doct. MAUTT circa vim corticis antiſepticam inſtitui, obſervavi, quod prouti putrefactio ſiſtebatur & ſapor reſtituebatur pondus ſpecificum carnium etiam increſcebat, firmitas & appropinquatio fibrarum ante recedentium producebatur, ita ut, dum fruſta carnis in ſummo gradu putredinis ſupernatabant, eadem illa fruſta continuata actione Corticis propius ad fundum vaſis deſcenderent: quod ponderis incrementum non niſi vi adſtringenti Corticis adſcribi poteſt. Aliud argumentum petitur ex mutatione coloris decocti Corticis, qui nimirum nigreſcens fit addita ſolutione vitrioli martis, uti Doct. LEWIS accuratis experimentis contra Doct. ALSTON probavit, & quod facili tentamine quotidie luſtrare poſſumus. Doct. PERCIVALL in ſuis experimentis etiam vidit varia praeparata corticis additis martialibus colorem jaſſumſiſſe nigricantem, unde hanc quoque concluſionem deduxit, Cortici ineſſe vim adſtringentem. Ultima tandem probatio ex eo petitur, quod ſi immergimus manum decocto vel infuſo Corticis ſaturatiori, per pauca tantum minuta, vaſa excretoria cutis ubique contrahuntur, oſcula eorundem occluduntur, perſpiratio inſenſibilis ſiſtitur, & cutis ſicca arida, paulum corrugata reperitur cum manus e liquore retrahitur. Ultimo loco addere poſſem ſaporem ſubadſtringentem, quem in ore experimur ſi corticem lingua exploramus; vincit tamen plerumque in tali exploratione ſapor amarus. Cl. MURRAY, qui virtutem adſtringentem corticis etiam agnoſcit, dicit in ſuo *Appar. Medic. vol.* I. *pag.* 554. quod illa vis adſtringens in particulis corticis reſinoſis latere videtur, quae coctione protracta cum aqua eliciuntur, vel eliquantur, non vero omnino

ſolvuntur, unde decoctum ſenſim turbidum ſit, & addit, quod ſi illa reſina coctione extracta fuerit, nullus amplius adſtrictionis ſenſus, ſed amarities fere unice in reſiduo inſpiſſato percipiatur. Imo vis adſtringens adeo certo in Cortice ineſt, ut etiam, ſecundum criteria beati Werlhovii, non valeat, niſi maſticatus aliquem ſenſum adſtrictionis in ore producat (*obſ. de febr. pag.* 82.).

A poſteriori virtus adſtringens corticis luce clarius apparet millenis experimentis cum illo in multis iisque diverſiſſimis morbis, in quibus fibrarum debilitas, laxitas, & humorum diſſolutio vel tenuitas morboſa peccat, inſtitutis. Tali nimirum ſcopo exhibitus fuit, & quotidie adhibetur in omni genere haemorrhagiarum paſſivarum, in quibus fere ſemper debilitas fibrarum, laxitas vaſorum & ſanguinis fluiditas nimia adſunt; ſic illum in Epiſtaxi, Haemoptoë & aliis Haemorrhagiis commendavit Vogel; in Menorrhagia Bianchi; in Haemorrhoïdibus *Eph. Nat. Curioſ.* Experientia edoctus illum in Haemoptyſi vomitu & mictu cruento, & in aliis multis haemorrhagiis ſummis extollit laudibus Doct. Held. Mortonus noſtrum corticem adeo magni facit in cura Haemoptoës, ut illum Herculeum dicat antidotum, & tandem Hoffmannus, Brunnerus, Wagnerus & multi alii in eo conſentiunt, quod Cortex ſit optimum remedium in ſiſtendis Haemorrhagiis. Objicitur quidem a nonnullis (inter alios a Cl. Murray *Appar. Medic.*) Corticem non videri adſtringendo haemorrhagias cohibere, quia nimirum fluxum menſtruum vel lochiorum, vel ipſam ſalivationem in variolis non ſiſtit; reſpondendum vero, hunc effectum Corticis, uti cujuscunque remedii vel adſtringentis vel ex alia claſſe, produci vel non produci, prouti diffe-

differunt morbi, contra quos, & conditiones, ſub quibus, illum praeſcribat Medicus.

Praeter haemorrhagias, quae amplam claſſem conſtituunt illorum morborum in quibus medicamenta adſtringentia uſu veniunt, alii bene multi dantur morbi a laxitate & debilitate ſolidorum oriundi, in quibus Cortex aliis medicamentis, ſtrictiori ſenſu adſtringentibus dictis, longe praecellit: Sed dum in plurimis morbis ex hac claſſe cortex noſter non tantummodo operatur ſimpliciter adſtringendo fibras & vaſa, verum etiam partibus ſolidis noſtri corporis robur & tonum addendo, plurima exempla ejus efficaciae in talibus affectibus ſub §. VIII, ubi ex profeſſo de vi corticis corroborante & tonica agam, latius excitabo, quia nimirum vis adſtringens & corroborans corticis in plurimis caſibus adeo bene conveniunt, ut non niſi difficulter admodum diſtingui poſſit, utracunque harum virtutum effectus ſalutares, quos obſervamus, produxerit; id tamen addam, quod in Hydrope Anaſarca, in Sudoribus Nocturnis, in Diarhaeis & aliis profluviis a debilitate, magno cum ſucceſſu ſoleat exhiberi. In Diarhaea Phyſicorum Corticem magnis laudibus extollit ROSEN V. ROSENSTEIN, dicitque illum melle roſaceo commixtum, & horis a febre vacuis, ſumtum, multam opem afferre; quod etiam confirmat Doct. FRIBORG, ſi admiſceantur flores Tuſſilaginis. Poſt debellatam dyſenteriam, ubi profluvium mucoſum remanet, multum juvat; roborando inteſtina illud coërcet, & relapſibus obviam it, uti inter alios probavit CL. RENEAUME *Hiſt. de l'Ac. des Sciences ann.* 1713.

§. VII.

Vis Antiſeptica Corticis.

Inter omnes ſubſtantias, quarum virtutes antiputridas exploravit Ill. PRINGLE Corticem Peruvianum optimam invenit. Decoctum ejus ſaturatum carnem per ſat notabile temporis ſpatium incorruptam ſervavit, & quidem ſub talibus conditionibus quae maxime putrefactioni favent, uti aëris libero aditu calore & humiditate; & quod ulterius probat, in fruſtis carneis, quae jam incipientis putredinis manifeſta ſigna dabant, firmitas, ſuavitas, color & pondus naturales infrictione pulveris, & infuſione in decocto meraco Corticis ferme penitus reſtituebantur, ita ut non ſolum putredinem arceat, ſed etiam corrigat. Idem fere demonſtrant experimenta Expertiſſimi Chirurgi ALEXANDER *de var. Corp. exam.*, qui etiam obſervavit Corticem externe uſurpatum putridam corporis humorum corruptelam corrigere. Doct. MAUTT in ſua *diſſ. de cortice Peruv.* §. X. refert, ſe varia experimenta ſuper hac re, praeeunte PRINGLIO, cum Cortice inſtituiſſe, cum eodem plane ſucceſſu". Variis quippe (ſunt verba Auctoris) affudi humoribus animalium diverſis quoque carnium fruſtis corticis pulverem, ejus infuſum aquoſum & vinoſum, & ſumma tandem eo rediit, quod partes longe diutius a putredine fuerint conſervatae, quam illae, quae a cortice liberae iisdemque locis & aëris uſura gaudebant. Eousque quoque proceſſi, ut & in putridis partibus ejus efficaciam inquirerem. Nec labor erat fruſtraneus: offendi enim foetorem, quem fruſtum exhibitum ſpirabat, ſenſim ſenſimque amit-

„ ti,

„ ti, ut plane nihil putridi nares ferientis dete-
„ gere potuerim. Cortex itaque inter antiſeptica
„ haud infimum meretur locum". Huc etiam referri debent tentamina Medicorum MACBRIDE & PERCIVALL, quae prorſus idem exhibuerunt; & tandem propria mea pericula cum carne plurium animalium & variis piſcibus inſtituta, in quibus omnibus luculentiſſime obſervavi putredinem futuram in fruſtis recentibus longe abarceri, & praeſentem vel penitus corrigi & tolli, vel ſaltem magnopere minui:

Hiſce tentaminibus eorumque concluſionibus, vis heroica corticis in corrigenda putredine extra Corpus Humanum certiſſime probata fuit, non minus autem certo conſtat quod eundem effectum in corpore vivo exerceat, & hoc obſervationibus & experimentis ſummorum in arte virorum adeo confirmatum fuit, ut hodie extra omne dubium ſit poſitum; ſi noſtri ſcopi eſſet efficaciam hujus medicamenti in morbis pyreticis indagare, indicarem quantum in febre Petechiali, in Peſte, in Variolis & Scarlatina, & in multis aliis febribus, ſaepe putridis & nonnunquam malignis, corrigendis & mitigandis valeat; nunc vero tantummodo indicabimus in quibus morbis putridis apyreticis uſus corticis conveniat, & licet catalogus eorum ideo multo ſit infrequentior, exhibet tamen validiſſima argumenta virtutis corticis tanquam ſpecifice antiſepticae, & ſi cortex vel hoc ſolum titulo eſſet conſpicuus, certe medicamentum eſſet nunquam laudibus abſolutum.

Miſſis ergo omnibus illis morbis febrilibus, inter apyreticos primo occurrit dyſenteria, ea nimirum, in qua materies acris naturae putridae cauſam morbi materialem conſtituit; verum quidem

eſt, huic morbo ſeſe adjungere ſolere febrem, ſed vel ob eam ipſam rationem Cortex aliis remediis antidyſentericis louge praecellit: monendum tamen ejus uſum in dyſenteria inflammatoria, quamdiu phlogoſis viget, minime convenire, quemadmodum non convenit in febre inflammatoria exquiſita ſeu pura, in qua potius, conſentientibus plurimis, morbum exaſperat. Doct. WHYTT ejus efficaciam in dyſenteria putrida, febre maligna ſtipata, etiam ſub invaſione aphtharum & ſingultus, eximiam admodum declarat; idem confirmat PRINGLE, qui ejus uſum in dyſenteria putrida cum radice Serpentariae Virginianae conjuncti, laude digniſſimum invenit, & MONROUS corticem in dyſenteria putrida aeque indicatum declarat ac emetica & purgantia. In ſcorbuto etiam quem inter morbos apyreticos jure dixerunt eundem eſſe ac febris putrida inter febriles, ſummas laudes meretur noſtrum remedium, ita ut inter remedia efficaciſſima contra univerſum morbum, & praecipue contra diras haemorrhagias, quae certum ſcorbuti peſſimi ſymptoma conficiunt, commendetur. Taceo quod in ulceribus malae notae ex putrida cauſa optimum mundans & conſolidans conſtituere, de qua virtute tamen in ſequentibus fuſius patebit, obſervatus ſit. In gangraena & ſphacelo, terribilibus illis morbis, in quibus ſumma putredo momentaneo quaſi progreſſu vel citiſſime ſaepe topica necroſi jugulat, & extinctio principii vitalis ſe frequenter admodum per lata vicinia imo per univerſum corpus nonnunquam diſpergit, toties & tam mirandas curationes & reſtitutiones in integrum noſter Cortex produxit, ut hac virtute illum ſuperans nunquam certe remedium inventum ſit: imo ſi omnia, eaque indu-

dubitatiſſima, teſtimonia, hanc virtutem ſpecificam corticis probantia, enumerare vellem, arctos meos cancellos longe transgredi deberem. Qui hanc vim probatam legere vult adeat Cl. MURRAY *Appar. Med. vol.* I. *pag.* 605. *ſeqq.* & doct. MAUTT *Diſſ. de Cort. Per.* §. X. *ſeqq. in* Clar. SANDIF. *Theſ. vol.* I. *pag.* 187. *ſeqq.* Memorat tandem mox laudatus MURRAY corticem etiam in lepra, propter affinitatem ejus morbi cum gangraena & ſtrumis, feliciter adhibitum fuiſſe a Cel. Medico HEBERDEN in *Med. Tranſact. vol.* I. *pag.* 34, 36. Quae omnes obſervationes tandem confirmant, praxin non minus ac theoriam hanc virtutem corticis ſtabilire.

§. VIII.

Vis Corticis Roborans & Tonica.

Vidimus Cortici ineſſe vim adſtringentem, qua ſolidorum laxitas & debilitas reſtituitur, & vim antiſepticam, qua diatheſis ſeptica humorum praecavetur & corrigitur; patet jam exinde a priori corticem vim roborantem poſſidere, talem nimirum, quae omnibus adſtringentibus denegari non poteſt, & de hac ex ante dictis nullum amplius dubium haberi poteſt: ſed praeterea in noſtro Cortice eminet vis, quae nervis maxime amica eſt, & vires motrices & ſenſiles maxime excitat; hanc vim vocamus tonicam: Confirmat hoc effatum viri Cel. VAN DOEVEREN, Praeceptoris mei in hac univerſitate aeſtumatiſſimi, quod in ſuis Praelect. Practicis de hoc medicamento profert: „ vis (ut ait) quam „ Cortex in noſtrum corpus exſerit, corroborans, „ id ſingulare habet, quod non ut alia corrobantia, „ quae ſimpliciter adſtringendo agunt, fibras tantum „ modo reddat magis firmas, ſed quod etiam vi

„ toni-

„ tonica, quae ipſi ineſt, motus irregulares fibra-
„ rum in ordinem redigat: hac virtute tonica cum
„ roborante conjuncta, reliquis remediis adſtrin-
„ gentibus & ea conſtrictione roborantibus longe
„ praecellit: ſic cortex fraxinus vel quercinus in
„ multis caſibus debilitatis & atoniae idem plane
„ non praeſtat ac Peruvianus. His autem virtutibus
„ convenit in morboſa debilitate & laxitate, &
„ in imminuta irritabilitate corporis univerſa-
„ li, vel tantummodo particulari, egregios ef-
„ fectus exſerit"; & ſubjungit: „ certum eſt corti-
„ cem habere vim roborantem tonicam, unde pa-
„ tet illum convenire vel in ipſis morbis, qui ſae-
„ pius perperam ab ejus uſu derivantur". „ Deci-
„ piuntur igitur (ut hic verba Cl. MURRAY,
„ idem confirmantis, excitem), qui ab amaritie
„ & adſtringendi vi omnem in morbis effectum
„ dependere arbitrantur, qui ipſe tam varius eſt,
„ ut fruſtra alia amara & adſtringentia eidem ſub-
„ ſtituere tentatum fuerit".

Ex hac probata ergo dote corticis patet, illum longe pluribus effectibus morboſis, auxilio eſſe, quam qui adhucdum ſub prioribus titulis ſunt enumerati, & praecipue in talibus, qui non tantummodo a debilitate ſolidorum, ſed etiam a vi nervea fracta proveniunt, quae duplex cauſa tamen ut plurimum ſimul locum habere ſolet. Hac compoſita virtute ergo quam maxime valet contra eam debilitatem nervoſam, quae ex immodica mentis exercitatione ortum ducit, & in ea, quae a nimio ſeminis diſpendio tam legitimo, quam nefando, oritur, in tabe dorſali, & fere in omnibus miſeriis, quae ex hoc ubere fonte profluere ſolent, ſummis laudibus extollitur a Cl. TISSOT. In plurimis morbis κατ' ἐξοχὴν nervoſis dictis curandis etiam primarium tenet locum, „ Magis roborat & minus calefacit
„ (ſunt

„ (ſunt verba Cel. MURRAY *App. Med. Tom.* 1. „ *p.* 594.) quam ullum aliud remedium amarum; „ ſolet in hiſce aegris ventriculus minis debilis „ eſſe, ideoque in ſubſtantia cortex quandoque „ non ferri, ſed tunc magis convenit forma liqui- „ da, & in connubio ſpirituoſi menſtrui cum ama- „ ris & aromaticis": Subjungit etiam formulam tincturae corticis compoſitae; cujus ſummam efficaciam in hiſce morbis laudat. Contra nimiam etiam infantum ad convulſiones proclivitatem cum debilitate magna & acido primarum viarum conjunctam; vel & ex ea provenientem; Corticis efficaciam, una cum balneis frigidis, ſupra laudatus TISSOTUS pluries expertus fuit (*Avis au peuple* §. 595). Commendatur itidem tanquam praeſtantiſſimum remedium in Phtyſi pulmonali a SWIETENIO, MORTONO & pluribus aliis Medicis, quorum Catalogum exhibet MURRAY *App. Med. pag.* 590, ubi quaeſtionem dirimit, num Cortex in Phtyſi ſit commendandus; ipſe Corticem etiam prae aliis extollit in Phtyſi quam ulceroſam vocat. In diarrhoea Phtyſicorum Corticis vires etiam optimo cum ſucceſſu tentavit ROSEN. Commendatur quoque quam maxime in Febre Hectica & Tabe corporis ſeu lenta Comſumptione ſine ulcere interno; in Tabe Dorſali & aliis conſumptionibus. Habet praeterea vim ſummam in mundandis & conſolidandis pulmonum vel aliorum viſcerum exulcerationibus, ſed de hac re in ſequentibus videbimus. Laudatur praeterea tanquam optimum roborans & cardiacum poſt validas haemorrhagias; cum vitalis humor non tantum exhauſtus, ſed vis nervea etiam ſufflaminata eſt; neque minus a SYDENHAMO laudatur in Podagra, Rheumatiſmo; Arthritide & malo Iſchiadico. Plura alia exempla

mor-

morborum a debilitate & defectu ſpirituum corticis uſu ſatis conſtanter ſanatorum exhibere poſſem; propter anguſtiam vero ſpatii dicta ſufficiant. Qui plura ſupra hanc virtutem deſiderat, adeat auctores a Cel. VOGEL *in ſua Hiſt. Mat. Med. pag.* 228. allegatos, ubi plura talia exempla reperiet.

§. IX.

Vis Corticis antihelmintica.

Notum equidem eſt Vermes certe quammaxime nidulare in ventriculo & inteſtinis nimis laxis & atonicis, quam ut chymificationem & chylificationem debite peragant, ideoque eſſe ſequelas Cacochyliae: hinc omnia medicamenta, quae primas vias corroborant, excitant, concoctionem ciborum emendant, & ſic ad bonam Chymificationem & Chylopoieſin diſponunt & aptant, jam pro parte ſunt *antihelmintica*, quatenus nimirum pituitae tenacis, quae fomiti verminoſae maxime favet, ulteriorem geneſin impediunt: non tamen omnia amara roborantia ideo ſemper vermes pellunt. Dantur quidem alia ſpecifice antihelmintica dicta, quae maxima ſua acrimonia vermes trucidant, ſed haec etiam lacerant inteſtina; & potius uti venena, quam uti ſpecialia antihelmintica agunt: Cortex noſter interea duplici illa virtute gaudet: roborante ſcil., uti in antecedentibus demonſtravimus, & ſpecifica antihelmintica, qua vermes quidem necat, ſed minus violento & inteſtinis infeſto modo: „ Cortex Peruvianus (ut ait Doct. „ MAUTT *in ſua Diſſ. de Cort. Peruv.* §. V.) vi„ res antihelminticas duplicem ob rationem praeſtare „ poterit, quatenus nimirum amarus exiſtit, & vi

„ ſua

„ ſua qua pollet reſolvente mucum inteſtinorum „ nidum vermium abſtergit”, uti pluribus exemplis & obſervationibus probat idem ille Auctor, catalogum nimirum exhibendo omnium Practicorum, qui hanc virtutem Corticis obſervarunt. Cui aliud notabile exemplum addidit Cel. SANDIFORT in ſuo *Theſ. vol.* I. *pag.* 185. Cel. MURRAY corticem in ſuo *Appar. Med p.* 602. etiam inter Antihelmintica repoſuit, & Medicos RAMAZZINUM, LANZONIUM, *Uratislavienſes*, TORTI & VAN DEN BOSCH excitat, qui omnes propria experientia edocti in agnoſcenda Corticis vi antihelmintiga consentiunt. Et in ſcrophulis cum vermibus inteſtinalibus conjunctis corticem maxime commendavit FOTHERGILL *Med. Obſ. and. Inquir. T.* I. *p.* 305.

§. X.

Vis Corticis ſaponacea reſolvens.

Vim reſolventem Cortici Peruviano etiam haud precario adſcribi vel exinde a priori patet, quod magna copia ſalis eſſentialis ex hoc remedio poſſit elici; experientia vulgaris etiam comprobat huic remedio ineſſe vim inſignem ſaponaceam, ut in decocto ejus patet, quod facile in ſpumas abit; & in Extracto, ſi conqueſſetur, oritur ſpuma difficulter ad aequabilitatem reducenda, quin eo conſtantior, quo Cortex melioris notae ſit. Tam longe etiam abeſt, ut mala, quae poſt febres debellatas quandoque in corpore remanent, producat, uti ex ignorantia & praeconcepta opinione nonnunquam cortex culpatus fuit, ut ea contrario congeſtiones, ſtaſes & obſtructiones poſt illas ſuperſtites, ipſe ſaepius reſerat. Sic in ictero poſt febrem quarta-

tanam remanente cortex adeo ſaepe convenit, ut morbus ille absque cortice ſanari non poſſit, quemadmodum abunde teſtantur KLEGHORN & PRINGLE, & uti manifeſte patet ex Diſſ. ſupra hunc morbum quae ex *Actis* Edinburgenſibus a Cl. WERLHOFF *anno* 1735. latine reddita eſt, cui annexa eſt Epiſtola ad Cl. BERGERUM, ubi variae traduntur obſervationes idem comprobantes; CAMERARIUS Diſſ. etiam edidit anno 1734, in qua Corticem peruvianum ad icterum ſanandum proponit. CL. MURRAY idem aſſerit, ſive ut dicit cauſa lateat in nimia tenacitate, vel copia bilis, vel laxitate, ſive ſpasmo partium bili vel ſecernendae inſervientium, vel in ipſo calculo obturante, quem tonum fibris impertiendo pellit. In ipſa tandem Hydrope ejusque variis ſpeciebus ſive primaria, ſive poſt febrem vel icterum invadente, cortex feliciſſimo cum ſucceſſu propinatus fuit, licet Hydropis geneſis ab ejus uſu ſaepius derivatus fuit, quam tamen nunquam producit, niſi intempeſtive adhibeatur; obſervationes autem corticis efficaciam contra Hydropem probantes collectae inveniri poſſunt in BOECLERI *not. ad* HERMANNI *Cynoſ. M. M.* T. I. *Miſc. N. C.* TORTI *Terap. ſpec.* WERLHOFF *obſ. de febr.* L. HEISTER *comp. Med. pract. p.* 33. & apud plures alios, quos anguſtia ſpatii allegare vetat. Egregiam efficaciam quoque in reſolvendis ſtaſibus & lentis glandularum obſtructionibus, & quidem praecipue contra ſcrophulos, noſter cortex exhibuit in tentaminibus virorum Cl. FORDYCE, FOTHERGILL & WHYTT. Nec non in Tuſſi Catharrali profuit, uti CL. WHYTT in ſe ipſo expertus fuit, hoc etiam confirmat Cl. MURRAY *l. pluries c. p.* 589. dicens: „ ipſe „ Cortici debeo firmatos in me pulmones, quos

„ ca-

„ catharrus pertinax eoque pediſſequa tuſſis ni„ mium debilitaverat". —— Quae omnia, niſi multum fallor, vim reſolventem corticis ſatis ſuperque demonſtrant.

§. XI.

Vis Corticis balſamica & vulneraria.

Neque minus ex ſequentibus, uti credo, patere poterit vis balſamica, quam cortex edere ſolet in plurimis morbis, ubi omnis medicina inanis videbatur, & noſtrum remedium miracula fere praeſtitit. Supra jam vidimus de ejus uſu in phtyſi laudando, qui morbus ex ulceratione pulmonum interna ortum ducit; dum tamen illa exulceratio ſeorſim tractari & conſiderari non poteſt, hic tantummodo ejus vim in talibus laeſionibus externis vel & internis conſiderabo, quae in alium morbum nondum adeo degenarunt.

A priori patet, ex iis, quae ſub prioribus §§. attuli, cortici ineſſe vim inſignem roborantem & antiſepticam, conjunctam cum vi antispasmodica & tonica, qua nimirum ſolidis partibus inſigne robur addere, fluidorum ſepticam diſpoſitionem corrigere, & motus irregulares vel effrenes componere valet, quae virtutes, ſi vulneris vel abſceſſus naturam conſideramus, maxime debent favere ad eorum mundificationem, & praeparationem balſami illius naturalis, puris ſcil:, absque quo natura conſolidationem non efficit. Innumerae etiam obſervationes teſtantur corticem illos effectus edere: ſi homini ulceroſo exhibeatur unica tantum uncia corticis, pus blandius & laudabilius intra 24. horas oriri ſolet, quod praecipue verum eſt in ulceri-

ribus cacoëtheis. In abſceſſu Hepatis externo ſanando multum profecit Bergio, qui addit, ſe ipſum binos aegros ab empyemate ope corticis curasſe, quod eo certius obtinere addit, quo ſputa magis foetent, *Mat. Med. T.* I. *p.* 109. Tissot declarat, ſe cortici in tractatione vomicae pulmonum disruptae & in phtyſi vera prae omnibus balſamicis palmam debere, quod Doct. Buchan pro parte etiam confirmat, etiamque teſtatur expert: Acrell ſe corticem in empyemate & vomica pulmonum optimo cum ſucceſſu adhibuiſſe. In exulcerationibus corticem non tantum non nocere, ſed putredinem vincendo etiam ad conſolidationem facere teſtatur Lösecke in *Mat. Med. p.* 417. Inſignem etiam corticis efficaciam in abſceſſu cruris circa articulum notavit de Haen *Rat. Med. P.* XII. *p.* 259. Vix etiam vulnera cujusdam momenti in America absque cortice ſanari poſſe notarunt varii Medici & Chirurgi, praeſertim ſub plagis meridionalibus, quia ſuppurationem ad illorum conſolidationem neceſſariam raro absque hoc praeſidio ferre poſſunt aegri; accedit quod convulſiones, quae vel levibus vulneribus in hiſce regionibus ſupervenire ſolent, tempeſtivo corticis uſu vel feliciter praecaventur vel ſaltem multum infringuntur & minus ominoſae fiunt, uti monent Bancroft, Bisset & Bajon. Imo uti anticancroſum ſpecificum pluribus auctoribus laudatum fuiſſe corticem, collectis teſtimoniis videre eſt apud Cl. Murray in *App. Med. T. I. p.* 612., & Cl. Vogel *Hiſt. Mat. Med. p.* 289.

§. XII.

§. XII.

Laudes Generales. Concluſio.

Concludam igitur hocce qualecumque ſpecimen de virtitubus corticis peruviani, & de ejus uſu in tot tantisque morbis laudabili, verba Cl. Praeceptoris VAN DOEVEREN (*ex ſuis praelect. pract.*) mea faciendo: „ Cortex Peruvianus ergo convenit in morbis a fibra laxa & debili, ab irritabilitate & a torpore nimiis oriundis; convenit in morbis nervoſis, cacochymicis, ſepticis, ſcorbuticis, imo in morbis acrimoniam incognitam, cancroſam v. gr., junctam habentibus; convenit in motibus abnormibus & humorum congeſtionibus; convenit tandem in febribus intermittentibus & remittentibus; ita ut morbum vix invenias, cui aliquando non convenit ocius ſeriusve Corticis Peruviani uſus tempeſtivus; imo ut praeter Aquam nullum forte remedium magis univerſale exiſtat".

Abſolvi ergo penſum juvenile & leve quidem, ſed ideo tamen humaniter ut enixe rogo a B. L. excipiendum, quia minime editum eſt ut imberbis eruditionis vanum exhibeam ſpecimen, ſed ut urgente ſumma neceſſitate Patriam citiſſime repetendi, Legi Academicae obtemperem.

TANTUM.

T H E S E S.

I.

Corticem Peruvianum unica virtute Febres domare mihi non videtur probabile.

I I.

Concluſiones deductae ab Experimentis in Cadaveribus inſtitutis in genere ad hominem vivum poſſunt applicari.

I I I.

Inſitionem Variolarum contra objectiones defendo.

I V.

Benignitas aut malignitas Variolarum non dependet a natura peculiari virus applicati.

V.

Phyſiognomia, ſi debitis reſtringeretur regulis, Scientia foret.

V I.

Mentis vitia a Corporis conformatione & temperamentorum diverſitate quam maxime dependere ſtatuo.